

CAPITIS XLIX.

Argumentum, Vltus, Partitio, Analyfis.

Hoc caput Ambrosius & plerique Veterum Benedictiones Patriarcharum appellant: admixta vero sunt maledictiones aliquot. Lutherus Testamentum Iacobi vocat. Est enim oratio Patriarchæ morituri ad filios, quibus spiritu prophetico prænuntiat multo post euentura mala & bona: præcipue de futura terra promissæ inter familias eorum diuisione: deq; regno tribus Iuda, & de Messia ex eadem nascituro vaticinatur. Prophetiam claudit benedictione generali, & testatione de sepultura sua patriarchali; moxq; placida morte obsignat. Stylo metrico videtur constare, conciso & figurato, eoque obscuriore siue ab ipso Patriarcha sic fuerit quasi quadam cygnea cantio modulata, siue à Mose postmodum in carminis formam redacta.

1 Doctrinam præclaram & variam continet. Si Patriarcham spectemus, testatur is de lumine prophetico & fide eximia fulgente intus in mente & corde, licet foris oculis cæcutiret: & de officio parentum erga liberos in extremis admonet. Si filios, ante tempus redduntur certiores, qualis singulos maneat fortuna, vt agnoscant peculiarem sui curam geri à Deo, & quamuis eius prouidentia totus regatur mundus, se tamen vt domesticos, aliis gentibus præferri. Reuocatur etiam in memoriam, & confirmatur eis spes hereditatis promissæ: cum pater non secus ac in re præsentis eis exponit, qualis cuique in ea obuentura sit sors & habitatio. Instruuntur denique in fide & promissione salutis, iamq; eis reuelatur, quod inde ab Adam omnibus Patriarchis manserat absconditum, ex qua familia, & quo tempore olim promissum semen mulieris Christus nasciturus esset, qui plenam eis felicitatem afferret. Si nos spectemus, illustre habemus testimonium de certitudine doctrine prophetice, quod à Deo per Spiritum sanctum fuerit patribus dictata. Cum enim veritatem huius prophetie exactissime comprobauerit euentus per totos 1613. annos inde vsque ad Christum, & idem plane de cæterorum oraculorum impletione constet: certum est, non nisi à Spiritu Dei, qui solus futurorum est præsciens, ea proficisci potuisse sicut Deus ipse de se dicit apud Prophetam: Ego Deus, & non est ultra Deus, neque est, sicut ego: Annuntians ab exordio nouissimum: & ab initio ea, quæ nondum facta sunt, &c. Et hoc gnomismate se discernit à numinibus falsis, quæ futura præscire extra suas causas non possunt, licet aliquando instantia in suis causis præfagiant, Iesa. 41. vers. 23. Annuntiate, quæ futura sunt, & cognoscemus, quod Dii sitis. Consoletur etiam nos, quod sicut posteritas Iacobi Deo cura fuit: ita Ecclesia omnium temporum curetur à Deo etiam in his, quæ ad victum & hospitium externum pertinent in hoc mundo.

2 Cum primis vero oraculum de Messia tunc nascituro è tribu Iuda, quando ab ea à regni auferendum erat, confirmat fidem nostram de certo impletis promissionibus patrum, de Messia exhibitio, de capite serpentis contrito de benedictione effusa super totum semen Abrahæ: de vanitate aliarum religionum, quæ extra Christum salutem querunt: præcipue autem de gentis Iudaicæ cæcitate & pernicacia, quod sceptro tribus Iudæ iam olim per Romanos ablato atque contrito videre nec volunt, nec possunt, tempus præfinitum aduentui Messia iam ante sexdecim secula præteruisse: alium vero Regem suæ felicitatis authorem contra diuina oracula pertinaciter expectare præsumunt.

Diuido caput in duas partes.

Partitio.

Prior Testamentum Iacobi continet, vsque ad vers. 33.

Posterior est de eius morte, vsque ad finem.

Testamentum constat, 1. Exordio, v. 1. 2.

2. Prophetia de duodecim filiorum & familiarum sorte & conditione futura, in totidem quasi partes subdistincta, vsque ad vers. 29.

3. Præcepto de sepultura, vsque ad vers. 33.

PRIMA

PRI

Postea vocat
tam est vo
Congregamini,

POSTEA VOC
Particula vau hi
actio Patriar

Omnes filios con
extremum va

conditur
feliciter, qu
tot filios con

Emphasin h
Congregamini

adeste sine
horis hora. Hab

Ergo co
Virtus triplice

Primus est à
euentura

Omnes se
ad audiendum
circa se
morituris
disponam d
x mala dehinc
Mala
bona
secretum suum
Fabulati
libri ap
prescripta